Sed jam videamus modum argumentandi in ſpecie per ſingulos locos communes, quos inter primus eſt ille de theologiâ.

Caput II.

De Theologiâ.

I. *Iniquum eſt à theologo argumentari ad theologiam.* Hoc faciunt, qui ajunt theologiam ab aliis ſcientiis multa mutuari: ab Oratoriâ ornatum & copiam, à Logicâ acumen, à Metaphyſicâ cognitionem generaliſſimorum principiorum, ab Ethicâ naturam virtutum: deniq; theologiam fore inermem, & ſceleti inſtar exſuccam, ſi aliarum artium ope deſtituatur. Qui hæc jactant, non diſcernunt theologum à theologiâ, id eſt, ipſum hominem ab ipsâ ſcientiâ.

II. *Vitioſa eſt argumentatio à philoſophiâ ad theologiam, itemque à theologiâ naturali ad ſupernaturalem.* Hoc enim pacto committitur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος: quod Ariſtoteli viſum eſt turpiſſimum in ſuâ philoſophiâ.

III. *Non valet conſequentia à theologiâ archetypâ ad ectypam: nec à theologiâ viſionis ſive excelſâ ad theologiam revelationis ſive humilem.* Ratio eſt; quia theologia archetypa eſt ſcientia rerum divinarum in